

ecclesiam nostram beate Mariae virginis in Czwickau una cum capellis suis illi connexis mense monasterii nostri unitam et incorporatam in divinis officiis regimen et de ipsius fructibus obvencionibus et emolumentis nobis respondendum, prout nobis incumbit, comittendam duximus et committimus per presentes, donec ipsum ad liberum nostrum arbitrium revocandum decreverimus aut ipse sponte cesserit eidem iusticia archidiaconi semper salva. In cuius rei testimonium sigillum nostri conventus praesentibus appendendum fecimus et iussimus. Date anno domini 1380, feria quarta post festum sancti Gregorii martyris.

**170.** *Johann Zschakan, Pfarrer zu Lößnitz, überträgt das seiner Familie zustehende Patronatsrecht der Pfarrei und der Altäre St. Georg und St. Sigismund des Hospitals vor Zwickau an den Zwickauer Rat.*

1381 Juli 25

*Abschrift: Stadtarchiv Zwickau, K 1 Nr. 9b I, fol. 6v–7r (15. Jh.) (B); ebenda, K 1, Nr. 9a, fol. 3v–4r (16. Jh.) (C); ebenda, IIIId Nr. 15, Kopialbuch III, fol. 26r–26v (16. Jh.) (D). — Edition: Herzog, Chronik II, S. 894 f., Nr. 32.*

In nomine domini amen. Cum tempus nostrum continua prochdolor revolucione labitur, quod preteritorum accio surripiatur successione futurorum<sup>a)</sup>, necesse est, acta hominum litterarum confirmacionibus ac sigillorum roborentur, quod usque ad futuri temporis spacia circa veritatem maneant incorrupta. Qui ecclessiarum patroni, qui in hac vita superstites sunt, curam habent sollicitam, quomodo locis eisdem futuris casibus mediantibus, quibus condicionibus efficiantur, melioris prudenter valeant providere. Hinc est, quod ego Johannes Zcakan in oppido Leßnitz plebanus, ad quem ius patronatus ac presentandi parochie altaris sancti Georgii nec non altaris sancti Sigismundi sitorum in hospitali extra muros Zcwickaw Numburgensis dyocesis legitime parentum successione et iure proprietario dinoscitur pertinere, ut parochie et altarium premissorum ministri et rectores pariter et ipsum hospitale suffragio, defensione et tutela aliisque fulcimentis illibi<sup>b)</sup> necessariis ad divinum cultum explendum affectu largiori et amplius adiuventur. Notum facio universis et singulis presentibus et futuris<sup>c)</sup> hanc paginam<sup>d)</sup> inspecturis publice profitendo, quod libere et voluntate spontanea bonaque deliberacione prehabita pie dedi et donavi iusto donacionis titulo sine contradictione qualibet et presentibus confero, dono et pie trado donacione perfecta inter vivos prothoconsuli ceterisque burgensibus et consulibus civitatis Zcwickaw iuratis eorumque successoribus et posteris electis et eligendis perfectis et perficiendis ius patronatus et presentandi parochie, altaris sancti Georgii et altaris sancti Sigismundi altarium premissorum in hospitali sitorum prenotato cum omnibus suis attinenciis, libertatibus et pertinentiis omneque ius, quod iure hereditario mihi competit<sup>e)</sup> nomine quocunque<sup>f)</sup> seu competere posset in eodem, ipsis pie et libere resignavi et presentibus resigno, quod ipsi et eorum posteris ius patronatus et presentandi in ea libertate rectores ydoneos ad parochiam et altaria habeant prelibatis pacifice iure hereditario et quiete<sup>g)</sup> tenendi, possidendi perpetuis temporibus valituris.